



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Marcvlfī Monachi Formvlarvm Libri Dvo**

**Marculfus <Monachus>**

**Paris, 1635**

XXIV. Epistola qualiter pupilli recipiantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10644**

propriario, absq; repetitione heredum meorum, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et illud mihi inferere placuit, vt si fuerit vllus ex heredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc epistolam adoptionis, aliquid contra te, aut contra eum, cui tu ipsas res dereliqueris, calūniator, aut repetitor accesserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit sol. tantos componat; & hæc adoptio gestis alligata, firma permaneat.

*XXIV. EPISTOLA QUALITER tutores publicè recipiantur.*

**L** Ex Romana constringit, vt qui tutores noluerint esse paruulorum, si forte cesserit luctuosa hereditas, ab ipsa habeantur extranei. Propterea ego in Dei nomine ille, Iudex prouinciæ illius; Dum &

omnibus habetur percognitum, qualiter parentes istius presentis orfanuli, nomine illo, ab hac luce discesserunt, & testamentarium tutorem ei non dimiserunt, & minime suas procurare potest necessitates; ideo vna cum consensu primatum ciuitatis, conuenit nobis, vt istius patruo, vna cum omnibus bonis suis, facto conscripto rerum inuentarum, ei sub officium tutoris commendare deberemus: quod ita & fecimus. Ea vero ratione, vt per nullam occasionem suprascripti pupilli hereditas, quicquid in pago illo, in villis nuncupantibus illis videtur habere, non minuatur: sed ipfas res, vel mancipia, atque omnem suam substantiam diligenter excolat, & ipsum pupillum exinde nutrire, vel ministrare faciat. Et si Deo propitio in perfectam venerit ætatem, omnia ei secundum legis ordinem cum

integritate seruata reddantur. Vnde conuenit nobis, vt duas epistolas vno tenore cōscriptas, exinde conscribere, vel adfirmare deberemus: quod ita & fecimus. Vnam quidem iam dictus patruus suus secum retineat, alteram vero aliquis homo, nomine ille, de manu nostra, vel iam dicti pupilli, suscipiat, vt futuris temporibus, Deo auxiliante, sub re-  
stificatione bonorum virorum, qui subter tenentur inserti, per ipsam cum omni integritate omnia sua exigere debeat.

XXV. PACTVM INTER  
*parentes.*

**C**haritatis studium & dilectionis affectus inter propinquos decet, vt quicquid de rebus eorum inter se diuiserint, scripturarum serie alligetur, secundum Romanam legem ordinatam, vt quicum-